

D. T. O. M.
MANUDUCTIONIS APHO-
RISTICÆ

AD DISCURSUM ARTIUM
ET DISCIPLINARUM
METHODICUM

SECTIO DECIMA QUINTA

in qua continetur

JURISPRUDENTIA

ad disputandum
proposita

In Academia Viadrina

PRÆSIDE

M. THEODORO EBERTO

S.S. HEBREÆ LINGVÆ PROFESS.

PUBLICO.

Respondente

Samuele Sculteto

Fridelandensi Silesio.

ad diem 13. Maji

ANNO

Ære Christianæ


M. D C. XX.

Exscripta literis Viduæ Voltzianæ
per Michaëlem Kochen.

a. XXVIII. 41.

Coll. diss. A
28, 41





PRO O E M I U M

μικτόν

DE JURISPRUDENTIA



Equae enim causidicum, nescio quem, neque proclamatores, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus. Verba Ciceronis sunt, quibus nos in frontispicio manuductionis ad Jurisprudentiam, à discursibus nostris, caninam advocatorum

lib. 1. de Oratore.

facundiam arcebimus, quam Sidonius Apollinaris refert ad causidicos, quos tanquam garrulos & verbosos taxat Ovidius

Sidon. lib. epist. 4. ad Claud.

Ocia nunc isthic, junctisq; ex ordine ludis Cedunt verbosi garrula verba fori.

lib. 3. Trist. eleg. 12.

alii ad proclamatores, quos improbos verborum venditores reprehendit nobilis ille Tragœdiographus

Hic clamosi rabiosa fori jurgia vendens improbus, iras & verba locat.

Seneca in Herc. cul. furente act. 1.

alii ad rabulas, à rabie, t. Nonio Marcellino, ita dictos, qui velut canes acerrimi, juxta verba Senecæ, non nisi oblato cibo mansuescunt, & ut loquitur Apulejus, vilissima capita, forensia pecora, ac togatos & res reipsa expriment. Istos, inquam, singulos hinc arcebimus, & è contrario potius Juris Consultorum nobilissimorum disciplinam amplissimam, Philosophiæ solidiori & Medicina liberaliori annumerabimus, Prudentiam delineaturi, quam ex inti-

Marcellin. ad loc. Cicer. 1. de Orat. Apulej. lib. 10. metamorph.

Cic. v. de legib.
Imperat. text.
in Authent. ne-
q. quod ex dot.
est post princip.

Pollux lib. 5.

l. 1. ff. de I. & I.
(a) in § Aliud
quoq. in Au-
thent. de equal.
dot.

(b) per ea, quæ
adducit Tira-
quell. de nobil.
cap. 31. n. 316.

Panormitan. ad
c. Ceterum de
jura. cal.

ma Philosophia penitus hauriendam esse putat Cicero :
quam Imperator censet mederi negociis, ac medicamenta
morbis, leges sanciendo. Relinquemus igitur loquacissimos
& avarissimos legum corruptores, quorum idcam posteri-
tati literata reliquit Julius Pollux, non verbis quidem
continuis, sed sparsis & aliis quibusdam, interjectis :
συκοφάντης ἐστὶ δικογράφου, δικοῤῥάφου, λέγων ἐπὶ χρέ-
μασι, πρὸς ἀεγύριον λέγων, μηδὲν ῥῆμα πρὸ ἴκα εἰπὼν, μισθὸν
φθεγγόμενος, πρὸς χάριν λέγων, πρὸς ἡδονὴν δημηγορῶν
παρὰ τῆ κικκλίζων: Calumniator, inquit, est, litium con-
ceptor, litium confutor, loquax pro pecunia, ob ar-
gentum loquax, nullum verbum gratis proferens, ad
gratiam loquens, ad voluptatem conciones fingens,
apud tribunalia semper vivens. Amatores potius imi-
tabimur istiusmodi disciplina, quæ, teste Jureconsulto, ve-
ra Philosophia est, nec non legum latione veros Philosophos
efficit (a) : quæ suis constitutionibus medicamenta & an-
tidota ad res gerendas & decidendas necessaria proponit
(b) nec non, ex titulo Panormitani, ipsos instruit Medi-
cos, constitutionum medicamenta & legum variarum an-
tidota inducentes. Atq. sic hac ipsa imitatione non amplâ,
sed nudam, eamq. succinctam quorundam, ad prima inex-
haustæ scientiæ & prudentiæ civilis vestigia, aphorismorum
delineationem proponemus, & Justinianæis potissimum in-
stitutionibus, quatenus illæ adhuc hodie in usu sunt,
accommodabimus.

ὁ θεὸς δικαίοις ἔργοις ἡδεταὶ καὶ ἀδίκτοις
DEVS factis gaudet æquis, non iniqvis.

Menand. ap. Cl. Alex. l. 5. 590μ.

APHO-

APHORISMI.

I.

JUSTITIÆ tanquam Nobilissimæ Prudentiæ effectum Jus vocatur ab Ulpiano: à Thoma objectum; *De distinctione juris.* *Cap. 1.*
σύνοικον ab Aspasio. *Ulpian. in Instit. de I. & I. Thom. 2. 2.*
q. 57. Aspaf. in comm. 5. Eth. Nicom. Arist. c. 6.

2. Jus est vel *Publicum*, quod ad statum Reipubl. spectat: vel *Privatum*, quod singulorum concernit utilitatem. § *ult. Instit. de I. & I. l. 1.* § *hujus studii ff. eod.*

3. Utrumq; *sed expressius privatum*, collectum est ex jure Naturali, Gentium, & Civili. § *4. Instit. de I. & I.*

4. *Naturale jus* est, quod nobiscum nascitur. Non furtum facies: Nemo debet locupletari cum alterius damno: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. § *jus Natura ff. eod.*

5. *Jus Gentium* est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, usu id exigente, & humanis necessitatibus: quo pertinent dominia, pleriq; contractus, & obligationes. § *jus autem Instit. de jur. Nat. & Civil.*

6. *Jus Civile* est *νομοθεσία*: ex qua iterum jus dividitur, in *Vulgare*, quod est cujusvis civitatis & Reipubl. statutum, veluti est jus Lacedæmoniorum, jus Atheniensium: & in *Romanum*, quod a Romanis conditum.

7. Romanum autem *vel recentius, vel antiquius: illud iterum, vel Pontificium, vel Cæsareum.*

8. *Recentius Pontificium* alias vocatur *Jus Canonicum*: cujus tria sunt objecta; Religio: Personæ & Clerici: & Res spirituales.

9. *Recentius Cæsareum* est jus ab Imperatoribus è Germana gente, post Carolum M. Francum lectis constitutum: estq; *vel confirmatum, vel de novo constitutum.*

Yy 3

10. Con-

10. *Confirmatum* est jus feudale, de feudis disponens, cujus effectus est, quod omnes etiam obliget, tam seculares, quam spirituales, respectu feudorum, quæ à Laicis tenentur.

11. *De novo constitutum* est jus novissimum, quod auctoritate Imperatoris & suffragio Electorum ac ordinum Imperii constituitur.

12. *Antiquius jus Romanum* est Justinianæum, prout congestum est in L. libros Pandectarum, XII Codicis, IV Institutionum, & aliquot Novellas, certis definitionibus partitionibus & regulis comprehensum.

13. *Hoc intellectu sumptum* jus, vel constat lege, vel moribus, ut colligitur ex § *constat Instit. de jur. Nat. & Civil.*

14. *Lex* est jus, publicâ auctoritate sancitum, & præscriptum ad hoc, ut pro lege & jure observetur. §. *Lex est Instit. eod.*

15. Cujus *species* sunt, Lex in specie sic dicta, Plebiscitum, Senatusconsultum, Constitutio principis, Edicta Prætorum, & responsa prudentum. §. *Constat Inst. eod.*

16. *Lex est*, quod vigente apud Romanos Democratiâ populus senatorio magistratu interrogante, veluti *Consule*, constituebat. §. *Lex est Inst. eod. t.*

17. *Plebiscitum*, quod plebs plebejo magistratu interrogante, veluti *Tribuno* constituebat. §. *Lex est. Inst. eod. t.*

18. *Senatusconsultum*, quod Senatus jubet, atq; constituit. §. *Senatusconsultum, Inst. eod.*

19. *Constitutio Principis*, quod in Monarchia Principi placuit. §. *sed & quod. Inst. eod. l. 1. §. Quod Principi. ff. d. Const. Princip.*

20. *Prætorum edicta*, sunt jus, quod latores & autores
habet

habet prætores: Quod & ab honore magistratus jus honorarium appellatur. §. *Prætorum quoq; Inst. eod.*

21. *Responsa* deniq; prudentum sunt sententiæ & opiniones Jctor. Papiniani. Ulpiani. Pauli, Javoleni, Africani, & aliorum, quibus permissum erat de jure respondere. §. *Responsa. Inst. eod. t.*

22. Deinde *moribus* jus Romanum constat, qui sunt jus, quod longo usu invaluit. Aliàs *consuetudo* & *jus non scriptum* dicitur. §. *Sine scripto Inst. eod. l. 32. §. Inveterata ff. d. legibus.*

23. Porro jus Justinianæum *vel* ad personas pertinet, *vel* ad Res, *vel* ad Actiones. §. *Omne autem Inst. eodem.*

24. JUS PERSONARUM consistit in harum statu & conditione: ex qua personæ, *alia* sunt sui juris, *alia* alieno juri subjectæ. *pr. Inst. De his qui sui vel alieni jur.*

25. *Alieno juri subjecti* sunt Filii familias, qui tenentur potestate patriâ. *ut colligitur ex pr. Inst. eod. t.*

26. *Patria potestas* est jus, quod habet pater in liberos. *t. t. Inst. De patr. potest. l. ult. C. d. patr. potest. t. t. C. De patr. qui fili. distr.*

27. Quod jus varium est: potissimum autem consistit in acquisitione: quicquid filius familias acquirit, hoc patri suo acquirit jure potestatis. *vide in §. jus autem in gloss. in verb. in jus Inst. De patr. pot.*

28. Acquiritur duobus modis Naturaliter & Civiliter.

29. *Naturaliter*: in potestate enim nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus. *pr. Inst. d. patr. potest.*

30. *Nuptiæ* in genere sunt, viri & mulieris conjunctio individua vitæ consuetudinem continens. §. *Nuptiæ Inst. eod.*

Cap. 2.
De jure
Personarum, quæ
sunt alieni
juris.
Patria potestas.

Nuptiæ.

31. Justu.

31. Justæ & legitimæ nuptiæ sunt, quæ contrahuntur secundum præcepta legum. *pr. Inst. de Nupt.*
32. I. Masculi contracturi matrimonium sint puberes, hoc est annorum quatuordecim: *fœminæ* viripotentes, h. e. annorum duodecim. *pr. Inst. eod. t.*
33. II. Filiifamilias adhibeant *consensum parentum*, in quorum potestate sunt. *pr. Inst. eod.*
34. III. Consensus ille parentum nuptias præcedat. *pr. Inst. eod.*
35. IV. Ne inter cognatos & affines, qui inter se parentes & liberi, aut parentum & liberorum loco, aut fratres & sorores sunt, nuptiæ contrahantur. §. *Ergo non. Inst. eod. l. Nuptiæ & l. fin. ff. d. ritu nupt. l. si adult. ff. d. Adult.*
36. *Civiliter* patria potestas acquiritur Adoptione, & Legitimatione *ut colligitur ex pr. inst. d. Adopt.*
37. *Adoptio* est electio hominis liberi, in locum filii aut nepotis, inventa à jure civili ad eorum solatium, qui liberos non habent. *ex §. Imperio inst. eod.*
38. Estq; *vel* Arrogatio, *vel* Adoptio in specie sic dicta. §. *Adoptio. Inst. h. t.*
39. *Arrogatio* est adoptio hominum sui juris, quæ fit autoritate Principis. §. *Cum autem inst. eod. l. 2. ff. eod. d. l. 2. §. fin. ff. eod.*
40. *Adoptio* est si Filiifamilias, autoritate magistratus, mixtum imperium habentis, recipiantur. §. *Imperio inst. eod. l. in adoption. ff. d. Adopt.*
41. *Legitimatio* est, per quam liberi naturales, ex concubinato suscepti, justî & legitimi efficiuntur, adeoq; in potestatem patris rediguntur.
42. Quod fit *duobus modis*, compositione dotalium instrumentorum; & ex nov. constit. Rescripto Principis.
43. *Com-*

43. *Compositione dotalium instrumentorum ita*: Pater nuptialibus instrumentis compositis matrimoniū cum concubina contrahit: per hanc compositionem, & subsequens matrimonium liberi naturales justifunt, & in potestatem patris transeunt.

44. *Rescripto Principis*, si ad preces patris naturalis Princeps rescribat liberos debere esse justos & legitimos.

45. *Primo modo*, naturales efficiuntur legitimi, siue pater jam antè liberos legitimos & naturales simul habeat, siue non habeat. *Altero*, non nisi deficientibus legitimis.

46. Atq; his modis patria potestas acquiritur. Acquisita iterum *solvitur* morte patris, Dignitate filii, & Emancipatione, i. e. missione filii de manu, facta à patre coram competente magistratu. *pr. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.*

Solutio potestatis.

47. Sequitur nunc *alterum* propositæ distributionis membrum, de personis nempe sui juris. *pr. inst. eod.*

Cap. 3.

De jure

Personar.

que sunt

sui juris.

48. Hæ sunt, *vel* in tutela, *vel* in curatione, *vel* neutro jure tenentur. *pr. Inst. de tutel.*

49. *Tutela* est vis & potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit. §. *Est autem Inst. eodem.*

50. In tutela itaq; sunt *Pupilli seu Impuberes*, qui ejus sunt ætatis, ut ipsi se tueri nequeant.

51. Hos qui defendunt *Tutores* sunt, quasi tutores. §. 2. *Inst. eod. l. 1. ff. d. Tutelis.*

52. Sanè defensio potissimum consistit in *autoritate* adhibenda in negotiis, quæ gesta cum pupillo hujus conditionem possunt facere deteriores. *d. §. inst. eod.*

Autoritas tutorum.

53. Tutela triplex: Testamentaria: Legitima & Honoraria.

54. Testamentaria est, quam tutor fortitur, ex testamento patris pupilli. *ex §. Permissum Inst. eod. t.*

55. Legitima est, quam lex deficiente tutore testamentario, committit proximis agnatis & cognatis impuberis. *pr. Inst. d. Leg. agnat. tut. §. sunt autem & seqq.*

56. Honoraria deniq; , quam deficiente etiam legitimo magistratus mandat. Aliàs *Dativa* vocatur. *l. mutuo §. sub condit. ff. D. Tutel.*

Curatio.

57. Cæterum finita tutelâ incipit *Curatio*, quæ est vis & potestas administrandi bona eorum, qui ipsi suis rebus consulere & superesse nequeunt. *l. Consil. ff. De cura furios.*

58. In curatione itaq; sunt minores annis 25, quos & puberes vocamus, furiosi, prodigi, furdi, muti, mente capti, & qui perpetuo morbo laborant, sive hi minores, sive majores. *§. Furiosi quoq; & seq. Inst. De Curatorib. l. 1. De Cur. furiosi.*

59. Quiq; horum bona administrant, à curatione curatores appellantur.

*Satisfactio
tut. & curat.*

60. Ne autem negotia pupillorum vel puberum per tutores vel curatores consumantur, vel diminuantur, *satisfactio* ab eis exigenda debet, Rem pupilli vel adolescentis salvam fore quam præstabunt datis fidejussoribus. *pr. Inst. De satisf. tutor. & curator.*

*Suspecti re
motio.*

61. Item *suspecti* tutores & curatores, qui non ex fide tutelam gerunt, vel gesturi creduntur, removeri ab officio debent. *§. 1. Inst. De susp. tut. l. Nihil 35. ff. d. R. I.*

Excusatio

62. Versa vice, si quis tutor vel curator datus oneri ferun-

ferundo se imparem doceri possit, vel alias excusatio-
num causas habeat, invitus onere tutelæ vel curæ im-
plicari non debet. *pr. Inst. De excus. tutor. & cur. & l. C.*
Qui numero lib. se excus.

63. Atq; ita se habet primum juris objectum in sta- Cap. 4.
tu & conditione Personarum. Sequitur *alterum* in Re- De jure Re-
rum differentiis seu qualitatib. in dominiis & in obli- rum, ea-
gationibus. *l. l. De acquir. rerum dom. §. Omnium infra De rumq; dif-*
Action. ferentiis.

64. *Differentia rerum* quæ sint, ex divisionibus earum
liquet.

65. Res *alia* sunt in patrimonio nostro, *alia* extra pa- I. Divisio
trimonium: seu *alia* sunt in bonis, *alia* extra bona. *pr. Inst. Rerum.*
De rerum div. & adqui. ear. dom.

66. *Extra bona nostra* sunt res communes, res publi-
cæ, res universitatis, res nullius. *pr. Inst. eod. t.*

67. *Res communes* sunt aer, aqua profluens, mare &
littora maris, quæ proprietate nullius sunt, usu commu-
nes sunt omnium. *§. Et quidem Inst. eod.*

68. *Res publica* proprietate, populi sunt, usu & ipsæ
communes omnium, ut sunt Flumina & Portus; publi-
cæ dictæ, quasi populi. *§. Et quidem Inst. eod.*

69. *Universitatis res* sunt Theatra, Stadia, & his simi-
lia, quæ proprietate civitatis sunt, usu communes o-
mnium, qui sunt in civitate. *Ding/ welche einer Ge-*
meine zustehen. §. Universitatis Inst. eod. l. 2. l. 3. De R.
Div.

70. *Nullius* denique res sunt res sacræ, religiosæ
& sanctæ, quæ in nullius bonis sunt: & nec unquam ali-
cujus fieri possunt. *dicto §. Univ. Inst. eod.*

71. *In bonis res sunt, quæ singulorum sunt propria. §. Singulorum Inst. eod.*

72. *Præterea Res alie sunt corporales, alie incorporales. pr. Inst. De reb. Corp. & Incorp.*

II. Divisio
Rerum.

73. *Corporales sunt, quæ suâ naturâ tangi possunt. pr. Inst. eod.*

74. *Quæ iterum, vel mobiles sunt, vel immobiles. t. t. Inst. eod.*

75. *Mobiles, quæ loco moveri possunt, ut Homo, Aurum, Vestis. &c. d. t. t. inst. eod.*

76. *Immobiles quæ contra non possunt, ut Ager, Vineæ, Domus. d. t. Inst. eod.*

77. *Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quæ in jure consistunt, ut Hereditas, Servitus, & Obligatio. Inst. eod.*

Cap. 5.
De Servi-
tutibus.

78. *De hereditate & obligatione infra commodius agetur.*

79. *Servitus est jus, quod habemus in re alterius, ut is patiatur aliquid, aut non faciat aliquid. l. quoties §. Servitium ff. de Servit.*

80. *Estq; aut Realis, aut Personalis. l. fundi. 211. l. 2. De servit. rustic.*

Servitus
prædii.

81. *Prædii servitus est jus, quod prædium prædio servit, & hoc perpetuam causam habere debet. l. Foramen. De Serv. urb. præd. Cujac. obs. lib. 2. cap. 3.*

82. *Quæ iterum est, vel Rustica, vel Urbana. §. 1. & seqq.*

83. *Rustica quæ debetur prædio rustico. §. Inter rust. Inst. De serv. rust. & urb. præd.*

84. *Cujusmodi servitutes sunt Iter, Actus, Uia, Aquæductus, Aquæhaustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, & Arenæ fodiendæ, cretæ lapi-*

lapidisque eximendi. §. *Inter. gl. in l. De serv. rust. l. Ven-*
ditor 13. l. 3. ff. eod.

85. *Iter* est jus eundi, ambulandi hominis. Eine Be-
rechtigung durch eines andern Guth zu gehen. *l. 1. ff. eod.*

86. *Actus* est jus agendi jumentum, vel vehicu-
lum. Ein Fahrweg durch ein ligend Guth. *dicta l. 1. § l. qui*
sella 7. ff. eod.

87. *Via* est jus vehendi trahendiq; tigna & lapides,
& eundi quoq; ac agendi. Ein gemeine Heerstrasse. *dicta l.*
1. § dicta l. sella 3. qui viam.

88. Cæteræ servitutes cujusmodi sint, vel ex solis
earum nominibus liquet.

89. *Persona servitus* est, quæ à prædio personæ debe-
tur, ut usufructus & usus. *l. 4. de Usufr.* *Servitus*
personæ.

90. *Ususfructus* est jus utendi fruendi re aliena. Ab-
nützung. *pr. Inst. De Usufr. vide Cujac. lib. 13. cap. 12.*

91. Estq; vel verus, vel quasi. *ex pr. Inst. De Usufr.*

92. *Verus* consistit in rebus, quibus fructuarius uti-
tur fruitur, salvâ ipsarum rerum substantiâ. *ex pr. Inst.*
eodem.

93. *Quasi-ususfructus* in rebus, quæ ipso usu consu-
muntur, vi nimirum cautionis, quam fructuarius inter-
ponit de tanta summa restituenda, usufructu finito. *l. 1.*
§ t. t. ff. Usufr. quem caveat l. 1. § l. Usufructu 4. C. De
Usufr.

94. *Usus* est jus utendi re alienâ. §. *Minus autem Inst.*
De Usu § Habit. § gl. magna in l. 1. ff. eod.

95. Videlicet utimur ad necessitatem, utimur frui-
mur ad compendium etiam & lucrum. *t. t. Inst. eod.*

96. Hactenus de rerum differentiis & qualitatibus.
Sequitur de acquirendis rerum dominiis, quæ sunt altera
pars secundi juris objecti. *Cap. 6.*
De acqui-
rendis re-
rum Domi-
niis.

97. *Dominium est jus, quo res est nostra. De Eigenthumb.*

98. *Quod acquiritur, cum jure gentium, tum civili v. Cling. hic De rerum div. Et acquir. ipsar. dom. num. 6.*

99. *Jure gentium acquiritur Occupatione, Specificatione, Accessione, Confusione, Perceptione & Traditione. l. 1. in fin. cum duab. ll. seqq. ff. eod.*

100. *Occupatione res nostræ fiunt, quæ sunt nullius, ut volucres, res pro derelictis habitæ, & thesaurus, item res, quæ ex hostibus capiuntur, adeo ut contra prohibentem injuriarum actio competat. l. Injuriarum 13. §. Si quis me ff. De Injuriis l. 3. De acquir. rerum dom.*

101. *Specificatio est speciei ex aliena materia, vel partim aliena affectio, per quam effector speciei dominus efficitur, si modo priore casu species non possit reduci ad pristinam materiam. ex §. cum autem Inst. De rerum div. Et c.*

102. *Accessio est per quam aliquid rei meæ accedit. §. Præterea Inst. eod.*

103. *Eaq; duplex est Naturalis & Artificialis.*

104. *Naturalis, quæ fit natura: ad quam pertinent foetura, Alluvio, Insula in flumine nata & Alvei mutatio. ex §. Præterea Inst. eod. t. l. Adeo §. Præterea ff. de acquir. rer. dom. Et Bartol. in tract. De Alluv. in pr.*

105. *Artificialis fit arte vel opera & labore hominis: quò referenda sunt in Inædificatio, Plantatio, Satio, Scriptura, & quæ à regula excipitur Pictura. §. Litera 33. Inst. eod.*

106. *Confusio est, per quam duorum dominorum res, vel homogeneæ vel heterogeneæ confunduntur, hacq; re amborum communes fiunt. l. Adeo §. Voluntas. ff. eod. l. 8. §. Si voluntate de acquir. Et c. §. Si duorum Inst. eod.*

107. *Per*

107. *Perceptione* acquiruntur fructus, quos bonæ fidei possessor ex fundo alieno percepit & consumpsit, secus si malæ fidei, sciens rem alienam possideat. *ut hic* & *l. Bonæ fidei 48. ff. eodem l. certum 22. C. De rei vindic.*

108. *Traditio* deniq; est vacuæ possessionis datio, animo transferendi dominii. §. *Vendita Inst. eod. Cujac. obs. lib. 11. cap. 19.*

109. Itaq; jure naturali dominium acquiritur. Sequuntur modi, quibus rerum dominia *jure civili* & *legitimo* acquiruntur.

110. Horum modorum *alii* concernunt res singulas, *alii* bonorum universitatem.

111. *Res singulae* acquiruntur Usucapione, Donatione, Legato & Fideicommissio.

112. *Usucapio* est adeptio dominii per continuationē possessionis, temporis Lege definiti. *ex §. Diutina Inst. De Usuc. & longi temp. & c.*

113. Nimirum si res sit tradita (ex causa quæ dominium mutare solet) à non domino, & accepta tamen sit bonâ fide, deinde possessione & usu res capitur & acquiritur, cui acquirendæ non sufficit traditio: scilicet res mobilis capitur *triennio*, immobilis *decennio* inter præsentēs, annis *viginti* inter absentes. *pr. Inst. De Usucup. & longi temp. pres.*

114. *Donatio* est liberalis rei alienatio.

Donatio.

115. Estq; *duplex* Mortis causa, & Non mortis, causa. *pr. Inst. De donationibus.*

116. *Mortis causa* donatio est, quæ fit propter mortis aut periculi alicujus suspicionē & metū, & tūc rata est, cū causa est secuta. §. *1. Inst. de donat. l. mortis causa cū ll. seqq. ff. De mortis causa don.*

117. *Non mortis causa* [quæ inter vivos dicitur] quæ sine ulla mortis aut periculi cogitatione fit §. *2. Inst. eodem.*

118. Quæ iterum est *vel Absoluta, vel Relata.*

119. *Absoluta* quæ ex mera liberalitate & munificen-
tia proficiscitur. *Connar. l. 5. c. 9. num. 6.*

120. *Relata*, quæ fit ob aliud, ut Donatio propter nu-
ptias, quæ fit à marito in dotis compensationem. §. 3. *Inst. De donat.*

121. *Legatum* est donatio à defuncto relicta, ab here-
de præstanda, *l. Legatum 116. ff. d. legat. 1.*

122. *Fideicommissum* est donatio quædam, à defuncto
relicta, per manum & fidem heredis. §. *Imprimis Inst. De Fideicom. hered.*

123. Relinquitur utraq; hæc donatio & Legatum &
Fideicommissum, *vel Testamento, vel Codicillo, vel Nu-
da etiam voluntate.*

124. De *testamentis* autem & *codicillis* dicetur paulò
post in hereditatis materia.

*Lex Falci-
dia.*

*SCtus Tre-
bellianus.*

125. Sane plus quam dodrans bonorum legari, aut per
fideicommissum relinqui nequit. Ex lege enim Falcidia,
exhausta hereditate *legatis*: ex SCto Trebelliano exhau-
sta hereditate *fideicommissis* quarta hereditatis pars here-
di vindicatur. §. 1. *Inst. de Lege Falcidia.*

*Cap. 7.
De Heredi-
tate.*

126. Sequitur *Hereditas*: quæ est successio in univer-
sum jus, quod defunctus habuit, *l. Hereditas ff. de R. I. l.
Nihil aliud ff. de V. S.*

127. Estq; *vel voluntaria, vel legitima. l. quod autem.
6. ff. Quæ in fraud. creditorum.*

128. *Voluntaria* quæ ex voluntate hominis suprema
ad aliquem pertinet, quæ & testamentaria, quam lex 12
tab. non defert sed confirmat tantum. *l. lege obvenire ff.
De V. S.*

129. Estq; iterum *vel directa, vel Fideicommissaria.*

130. *Directa*, quæ verbis directis relicta ex Testamen-
to ad

to ad nos pertinet, & hæc à fide heredis nomen accepit
cui committitur, quæ & *fiduciaria* appellatur.

131. *Testamentum* est voluntatis nostræ iusta & solen- Testamen-
tum.
nis sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri
velit. *l. 1. ff. Qui testam. fac. poss.*

132. Estq; *duplex* scriptum & nuncupatum.

133. *Scriptum*, quod literis perscribitur. *t. t. Inst. de te-
stam. ord. vide & Vigl. hic.*

134. *Nuncupatum*, quod fit viva voce. *§. 14. Inst. de te-
stam. ord.*

135. In utroq; consideranda est *duplex testamenti factio*
activa & passiva.

136. *Activa* est in forma testamentorum faciendow
rum, & personis, quibus est permissum facere testa-
mentum.

137. *Forma hæc est*: Testator in præsentia septem te-
stium, qui sint idonei & specialiter rogati, ad testamen-
tarium actum, voluntatem suam supremam testari, e-
amq; uno contextu absolvere debet. *§. 3. 5. 67. Inst. De
Testam. ord.*

138. *Testamentum* præterea *scriptum* subscriptione no-
minum, testatoris & testium, horumq; sigillis constare
debet. *§. 3. Inst. eod.*

139. Testamentum facere possunt, *qui non prohibentur*.
Prohibentur autem impuberes, furiosi, prodigi & filii-
familias. *Vide t. t. Inst. quib. non est permiss. fac. test.*

140. *Passiva* testamenti factio est in heredis institu- Heredis in-
stitutio.
tione, quæ *duplex* est, Institutio in specie sic dicta, & Sub-
stitutio.

141. *Institutio* est quæ fit *in primogradu*: Titius heres
meus esto. *Cujac. ad African. tract. 2. num. 16.*

142. Quæ rursus vel *Necessaria*, vel *Permissa*.

A a a

143. *Neces-*

Exheredatio. 143. *Necessaria* est liberorum & parentum, qui nisi heredes instituti, vel ob certam aliquam ingratitude causam exheredati fuerunt, rescindi testamentum, per que relam inofficiosi potest, quasi non ex officio pietatis factum. §. 2. *Inst. De hered qual. & diff.*

Inofficiosi querela.

144. *Permissa* est quorumvis alior. qui utrum heredes instituantur nec ne, positum est in arbitrio & voluntate testatoris. §. 5. *Inst. eod. t.*

Substitutio.

145. *Substitutio* est institutio facta in gradu secundo, tertio aut ulteriore. *pr. Inst. De Vulgari subst.*

146. Estq; *vel vulgaris, vel pupillaris.*

147. *Vulgaris* quæ fit vulgò in locum quorumvis heredum non adeuntium: Si Titius heres non erit, Sempronius heres esto. *t t. Inst. De Vulg. subst.*

148. *Pupillaris*, quæ fit in locum pupillorū, si hos contingat pupillos mori, adeoq; ante quam sibi ipsi testamentum facere possint. *Inst. de pupillari subst.*

Infirmatio testamenti

149. Atq; ita fit testamentum: *Factum* iterum infirmatur per vitium *Rupti*, aut *Irriti. t. t. Inst. Quib. mod. Testam infir.*

150. *Rumpitur* posteriore testamento æquè jure perfecto & agnitione sui heredis. §. 2. *Inst. eodem.*

151. *Irritum* fit per capitis deminutionem testatoris, ut per arrogationem, si qui testamentum fecit, postea se arrogandum dederit. §. 4. *Inst. eod. t.*

Hereditas fideicommissaria.

152. *Hereditas fideicommissaria* jam sequitur. Hæc verbis directis, sive precativis, ut fideicommissum, vel Testamento, vel Codicillo, vel Nuda etiam voluntate, ut legatum vel fideicommissum relinquitur. Rogo te Luci Titi, ut hereditatē meam restituas Sempronio. §. 2. *Inst. De fideicom. hered.*

153. Qui

153. Qui rogatur heres est & manet. Cui hereditas restituitur, dicitur Fideicommissarius. §. 4. *Inst. eod.*

154. Ille autem, ut ad adeundum invitetur, perinde quartam ex hereditate per S^Ctum Trebellianum detrhere potest, atq; supra diximus permiffum esse ex rebus singulis per fideicommissum relictis. §. 5. *Inst. De fideicom. hered.*

155. *Codicillus* deniq; est testati vel intestati scripta voluntas, qua aliquid fidei heredis, quod faciat, committitur. *Vide t. t. Inst. de codicillis.* *Codicillus.*

156. Seu est *quasi-testamentum* minus solenne, subscriptione tamen quinque testium constans, quo aliquid fidei heredis mandatur. §. *ult. Inst. eod.*

157. Atq; tantum de hereditate, quæ ex ultima voluntate ad nos pertinet. Sequitur *Legitima*, quam ab intestato lex defert. *Legitima hereditas.*

158. In qua veteri succedendi ratione sublatâ, tres successorum ordines considerandi sunt. *ex novell. 118.*

159. *Primus est liberor.* Liberi cujuscunq; sexus & gradus sint, ad hereditatem parentis sui defuncti ab intestato vocantur. §. 1. *Inst. de success. quæ ab intestat.*

160. *Primi sanè gradus* liberi, ut filii & filia: qui soli sunt, hereditatem in capita dividunt, pro numero personarum. *In secundo, tertio, quarto gradu & deinceps* qui veniunt, sive sint soli, sive cum proximioribus concurrant, eam dividunt in stirpes. *dicto §. 1. Inst. eod. t.*

161. *Secundus ordo est parentum & fratrum ac sororum defuncti.* Deficientibus liberis succedunt parentes defuncti, & cum his ejusdem defuncti fratres & sorores ex eodem patre, & ex eadem matre nati natae. *t. t. Inst. De Adgnat. success.*

162. Parentes, inquam, vocantur proximi, iiq; tū materni,

terni, tunc paterni, divisuri hereditatem, si non concurrant fratres aut sorores defuncti, in duas partes, quarum unam paterni, alteram materni auferent. § 8. *Inst. eod.*

163. Fratres & sorores si concurrant, dividitur hereditas in capita, pro numero personarum §. 1. *Inst. eod.*

164. *Tertius ordo collateralium est.* Si & parentes deficient, debetur hereditas patribus & sororibus, & una etiam fratrum & sororum prædefunctorum liberis.

165. Fratres sane & sorores si soli sint, hereditatem partiuntur in capita, si concurrant fratrum liberi, divisio in stirpes facienda.

166. Deficientibus autem fratribus ex utroq; parente conjunctis & horum liberis, vocantur fratres ex uno parente conjuncti. Et deficientibus his quoq; reliqui agnati & cognati omnes in capite succedunt, & servata graduum prærogativâ. §. 5. *Inst. eod.*

Hereditaris acquisitio. 167. Sicq; etiam absoluta est hereditas legitima, qualiter nempe utraq; deferatur, aut ad nos pertineat. Ad extremum nunc videndum est *Delata hereditas* quomodo nobis acquiratur.

168. *Quod duobus fere fit modis:* Nuda voluntate, & pro herede gestione.

169. *Illa verbis explicatur: Quando me Titius heredem instituit, eam ego hereditatem adeo.*

170. *Hæc factio: Cum quis ea facit in rebus hereditariis, quæ dominus aliquis in re sua facere solet.*

Cap. 8. De Obligatione, juris 4. speciebus. 171. Restat jam tertia & ultima pars secundi juris obiecti, nempe OBLIGATIO.

172. *Obligatio est juris vinculum quo necessitate adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum.* *pr. Inst. De Oblig.*

173. *Estq; vel Civilis, vel Prætoria.* §. 2. *De Obl.*

174. *Civi-*

174. *Civilis*, quæ aut legibus constituta, aut jure civili comprobata est, ut sunt Legis Aquiliæ obligatio & de paup. per l. 12. *Et furti nec manifesti* §. *sunt autem Inst. De noxal. action.*

175. *Prætoria*, quam prætor ex sua jurisdictione constituit, ut sunt obligatio ex furto manifesto & ex rapina. *dicto §. sunt autem Et seq.*

176. *Iterum* obligatio aut ex contractu, aut ex quasi contractu: aut ex delicto, aut quasi ex delicto nascitur. *de his videatur Calv. latè sub verbo Obligatio.*

177. Contrahuntur obligationes aut re, aut verbis, aut literis, aut consensu. §. 2. *De Oblig. in fine.*

178. *Re* mutui datione, Commodato, Deposito & Pignore. *pr. Inst. quib. modis re contr. oblig.*

179. *Mutuũ est* creditum quantitatis datæ eâ lege, ut eadem illa quantitas reddatur in genere. *d. pr. Inst. eod.*

180. Unde qui mutuum accipit, re obligatur ad quantitatis illius solutionem. *pr. Inst. eod.*

181. *Commodatum est* conventio, quâ res gratis utenda datur ad tempus, finem modumq; certum, ea lege, ut eadem ipsa reddatur. *vide Connan. lib. 7. c. 3. num. 1.*

182. Unde duplex nascitur obligatio. Commodatarius, qui commodatum accipit, directò obligatus est, ut finito usu rem commodatam restituat, & præstat dolum & omnem culpam, latam, levem & levissimam. *pr. ff. Commodati.*

183. Ex contrario commodator tenetur commodatario ad refundendum impensas, quas in commodatum fecit.

184. *Depositum est* conventio gratis constituendæ rei, quæ traditur sub fide restituendi. *Vultej. l. 3. Inst. t. 15. §. 3. num. 1.*

Cap. 9.
De obligationibus ex
Contractu

Mutuũ.

Commodatum.

Depositum.

185. Hinc quoq; duplex obligatio descendit. *Depositarius*, apud quem deposita res, obligatur ad restitutionem & præstationem doli directò. Et contra *depositor*, ut reddat sumtus, quos depositarius fecit *l. 1. §. si quis serv. 9. in fin. ff. eod. & l. quod Nerva ff. depositi.*

Pignus.

186. *Pignus* est conventio, qua res aliqua traditur creditori propter crediti restituendi fidem; dictum autem à pugno, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. *l. plebs 238. §. pignus ff. De V. S.*

187. Et ex hoc contractu utrinq; obligatio nascitur. Directò obligatur *creditor*, ut soluto debito pignus reddat, damnumq; datum dolo vel culpâ lata, aut levi refarciat, Ex contrario *debitor*, ut reddat impensas, quas creditor fecit in pignus. *l. 1. §. si conveniat. & §. saepe ff. eodem.*

Stipulatio

188. *Verbis* contrahitur obligatio *ex stipulatione*: quæ est contractus, verborum conceptione constans, id est *stipulatione & promissione*. Dare ne aut facere spondes? *Spondeo. pr. & §. 1. Inst. d. V. obl. l. 1. §. Conventionis cum simili. ff. De Pactis.*

189. *Species stipulationis est fidejussio*, qua quis alienam obligationem sua fide & periculo esse jubet. *§. 1. Inst. d. Verb. obl.*

Literar. obligatio.

190. *Literis* obligatio contrahitur, si quis se debere, ex mutuo fortè, scripserit spe futuræ numerationis, nec intra biennium opposuerit exceptionem non numeratæ pecuniæ, aut non condixerit *syngrapham*. *pr. Inst. d. liter. obl. si autem confitetur sine scriptura non est obligatio, ut Salic. in l. generaliter. C. d. non numerata.*

191. Deniq; *consensu* obligationes fiunt, in emptione, venditione: Locatione, Conductione: societate & mandato. *t. t. Inst. d. obl. ex cons.*

192. *Emptio*

192. *Emptio ver ditio* est contractus ex consensu, de re, certo pretio acquirenda. *pr. Inst. d. empt. & vend.* *Emptio ver ditio.*

193. Obligatur hinc *Venditor*, ut rem emptori tradat; *Emptor* ut nummos venditoris faciat. *l. ex empto ff. d. action. empt.*

194. *Locatio conductio* est contractus ex consensu, de re, mercede vel facienda, vel fruenda *pr. Inst. d. locatione & cond.* *Locatio conductio.*

195. Accipiens faciendam vel fruendam *Conductor* est. Faciendam vel fruendam, qui locat, *Locator est. ex §. 1. Inst. eod.*

196. *Locator* obligatus est *conductor*, ut rem fruendi causa tradat. *Conductor locator*, ut mercedem, de qua convenit, præstet, locatione finita rem restituat, atq; dolum & culpam admissam præstet. *ex §. Conductor. Inst. eod.*

197. *Societas* est contractus ex consensu, inter duos vel plures communionem inducens. *Inst. de societate & habet concordantes Rub in ff. & C. pro soc.* *Societas.*

198. Estq; vel *Totorum bonorum*, vel unius alicujus negotiationis. *l. 1. in fin. cum seq. b. t. l. 5. pro societ.*

199. Obligatio hinc descendit: *Socius socio* tenetur, ut commoda, lucra, omnesq; societatis res dividantur, & dolum culpa præstentur. *l. 1. & 2. ff. b. t.*

200. *Mandatum* est conventio, qua roganti fides datur procurandi aliquid sine mercede. *secundum gl. hic sup. Rub. d. Mand. ff. eod. & dr. secundum Azonem. in Sum. C. eod.* quasi manu datum, quod enim quis per se factururus erat, alteri gerendum committit. *Mandatū.*

201. *Mandatarius* seu procurator, qui mandatum recepit, obligatur directò, ut procuret, quod recepit: & dolum præstet, ac omnem culpam. *Mandator*

ex

ex contrario, ut reddat sumptus quos procurator in executione rei mandatae fecit. *l. mutus 43. d. proc. l. praterea ff. mandati.*

*Quasi con-
tractu.*

202. Atq; ita contrahuntur obligationes. *Quasi contrahuntur* Negotior. gestione. Indebiti solutione, Hereditatis aditione, & Rei communione. §. *igitur Inst. d. obl. qua ex quasi.*

203. *Negotior. gestio*, quâ absentis bona gratis sine mandato geruntur. *d. qua t. t. ff. & C. d. neg. gest.*

204. Obligatio inde nascitur duplex: Directò tenetur *gestor domino*, cujus negotia gessit, ut ad exactissimam & diligentissimâ administrationis suę rationem reddat. Ex contrario *dominus gestori* obligatus est, ut huic reddat, quod de suo in gestionem impendit. *l. tutor. 20. C. qua ex quasi contr. nesc.*

*Indebiti
solutio.*

205. *Indebiti solutio* est promutuum, quo indebita pecunia per errorem alicui solvitur, hac quasi lege, ut accipiens eandem pecuniam, cum indebita apparuerit, reddat. *l. cujus per. errorem. ff. d. R. I.*

*Hereditatis
aditio.*

206. *Hereditatis aditione* heres obligatur legatario, ad præstandum huic legata. *l. 3. §. fin. ff. ex quib. causis in poss. eatur.*

*Rei com-
munio.*

207. *Rei communione* sibi invicem obligantur, quibus res (hereditas vel res singulæ) sine societate est communis, si unus fortè lolus fructus perceperit, aut impensas fecerit. ut supra *d. Societate & §. item si 3. Inst. d. obl. qua ex quasi del. nasc.*

*Cap. 10.
De obliga-
tionib. ex
Delictis.*

208. Seqvuntur nunc obligationes, descendentes *ex Delictis*. Sunt autem delicta 4, ex quibus obligatio, eaq; pœnalis, Furtum, Rapina, Damnũ & Injuria. *Vide DUAR. lib. 1. disp. c. 36. Cujac. obs. lib. 8. 33.*

Furtum.

209. *Furtum* est contrectatio fraudulosa lucrifaciendi

endi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessio-
nisve. *l. 1. in fin. ff. d. furtis Inst. eod.*

210. Estq; duplex manifestum & non-manifestum.
Manifestum in quo fur est deprehensus, vel saltem visus
cum re furtiva, antequam eam alicubi deponeret. *l. non
existimo 54. ff. d. adm. tut. vid. latius hic Iason. n. 20. & Zas.
hic vers. sed hic apponas Inst. obligat. ex del.*

211. *Non manifestum* contra, cum fur cum re furtiva
visus non est. *l. 4. l. 3. ff. d. furto.*

212. *Fur manifestus* ad pœnam quâdrupli obligatus est
illi, cujus interest rem esse salvam: *Non manifestus* ad pœ-
nam dupli. *l. vi bon. rapt.*

213. *Rapina* est furtum improbum, quo quis res alie- *Rapina.*
nas vi rapit. *pr. Inst. d. vi bon. rapt.*

214. Raptor hinc obligatur intra annum in quadru-
plum, cui simplum inest, post annum in simplum dunta-
xat. *d. pr. & l. aut facta. §. si ff. d. pœnis.*

215. *Damnum* est delictum, quo res alienis damnum *Damnum.*
injuriâ datur. *pr. Inst. de Lege Aq.*

216. Vindicatur hoc delictum *L. Aquilia*: cujus duo
sunt capita, *Uno* cavetur de quadrupedibus vulneratis, &
animalibus cæteris, uti & rebus inanimatis. *§. capite 13.
Inst. eod.*

217. Delinquens in primum caput obligatur ad æsti-
mationem rei præstandam, quanti eo anno plurimi fue-
rit. *§. illud palam est. 14. Inst. eod.*

218. Ex altero capite obligatio nascitur, quanti res plu-
rimi fuit in diebus 30 proximis. *d. §. & seq. Inst. eod.*

219. *Injuria* est delictum in contumeliarn alterius ad- *Injuria.*
missum. *pr. Inst. d. Injuriis.*

220. *Quæ vel Re fit, vel Verbis. §. Injuria 1. Inst. eod.*

221. *Re*, quoties manus alicui inferuntur, vel quo alio facto injuriæ. *dicto §. 1. Inst. eod.*

222. *Verbis*, vel *viva voce* & ore prolatis, quæ injuria convicium dicitur: vel *scripto* vulgatis, quæ dicitur famosus libellus. *d. §. Inst. eod.*

223. Obligatio ex injuria nascitur: reus tenetur, quanti injuriam passus eam æstimaverit. *§. pœna autem 7. Inst. eod.*

Quasi delicta.

224. Restant *quasi delicta*, quæ sunt: Si judex litem suam fecerit: si ex cujus coenaculo dejectum effusumq; aliquid fuerit, si quis aliquid positum, quod potest, si ceciderit, alicui nocere, & si quid in navi aut caupona, aut stabulo furtum fiat. *t. t. Inst. d. Obl. quæ ex quasi dol. nasc.*

225. Judex litem suam facere dicitur, qui quasi sibi non litigatori jus dicit: sustinet propterea pœnam, in quantum de ea re religioni judicantis æquum videbitur. *l. filiusfamilias 15. ff. d. jud. l. fin. C. d. pœna jud. qui male judic.*

226. Ex cujus coenaculo aliquid fuerit dejectum, tenetur duplum præstare ejus damni, quod datum est. *l. si quis absentis. §. Is quoq; ff. eod.*

227. Qui aliquid positum habuerit, pœnam 10 aureorum sustinet. *§. si filiusf. Inst. d. obl. quæ ex quasi dol.*

228. Deniq; in cujus stabulo furtum factum est, in id, pro ut erit, tenetur. *Vide Azon. super b. t. de roxal. action.*

Cap. 11.
De modis quib. tollitur obligatio.

229. Atq; hætenus de obligationibus, cujusmodi eæ sint & unde nascantur. *Nata* iterum *tolluntur*, Solutione, Acceptilatione, Novatione & Contraria conventionione. *l. ob signatione 9. C. d. solut. l. 2. si donationis C. d. Acceptilatione 2.*

Solutio

230. *Solutio* est realis sive naturalis præstatio ejus, quod debetur. *pr. Inst. quib. modis toll. obl.*

231. *Acceptilatio* est imaginaria solutio, per quam verbis contracta, aut saltem in verborum obligationem deductio, obligatio dissolvitur. *Acceptum ne fers, quod debeo? Acceptum fero § Item per accept. l. Inst. eod.*

232. *Novatio* est prioris obligationis in aliam obligationem transfusio, atq; translatio, verbis facta. *§. Præterea 3. Inst. eod.*

233. Quæ fit duobus modis: *vel* Mutuatione ipsius obligationis, *vel* interventu novæ personæ. *d. §. 3. Inst. eodem.*

234. *Mutuatio obligationis* fit, si vel naturalis in civilem, vel civilis in naturalem transformetur, vel conditio adjiciatur, vel detrahatur. *l. fin. C. d. Novat.*

235. *Persona nova* vel creditoris vel debitoris, *intervenit* per delegationem & subsequentem stipulationem.

236. *Contrariâ* deniq; *conventionem* tolluntur obligationes consensu contractæ, re videlicet adhuc integrâ. *§. fin. Inst. eod. Et ratio hujus conclusionis sumitur ex reg. l. nihil tam naturale 35. ff. d. R. I.*

237. Et tantum etiam de secundo juris objecto, quod *Cap. 12. De Actione.* hætenus expositum est *in Rerum differentiis, in Dominis Et in Obligationib.* Restat nunc ultimum objectum, *Actio* videlicet, quæ est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. *pr. Inst. d. Action.*

238. *Judicium* est legitimæ controversiæ apud Judicem tractatio. *l. nulli 10. C. d. jud.*

239. Quod à tribus personis constituitur, Actore, Reo, & Judice. *Bald. num. 1. Host. 2. Felin. Et DD. in Rub. ff. eodem.*

240. *Actor* est, qui litem & actionem intendit. *l. in tribus d. jud.*

241. Porro summa actionum divisio, in duo genera diducitur. §. *omnium Inst. d. Action.*

142. *Actio alia* in rem est, *alia* in personam. *d. §. omnium Inst. eod.*

243. *In rem* est, qua de re alicui movetur controversia. §. *sed ista 3. Inst. eod.*

244. Quæ iterum *vel* in rem est proprie, *vel* in rem esse videtur. *d. §. 3. Inst. eod.*

245. Quæ *in rem* proprie sunt, *vel* Civiles sunt, *vel* Prætoriarum. §. *namq. t. Inst. eod.*

246. *Civiles*, Rei corporalis vindicatio, Hereditatis petitio, actio confessoria & actio negatoria. §. *Æque si. 2. Inst. eod.*

247. *Prætorie* sunt actio Publiciana, Rescissoria, Pauliana, Serviana, & Quasi-serviana. §. *Præjudiciales 13. Inst. eod.*

248. *In rem* esse videntur, actio Præjudicialis & Interdicta, quarum *ille* est de statu hominis, *hæc* de rei possessione. §. *sed ista 5 seq. Inst. eod.*

249. *In personam* actiones sunt, quibus experimur adversus personam nobis obligatam. §. *in personam de Action.*

Div. II. A.
tionum.

250. Sunt & aliæ actionum divisiones minus principales. Actiones *alia* sunt bonæ fidei, *alia* stricti juris, *alia* arbitrariæ. §. *Actionum 28. Inst. eod.*

251. *Bonæ fidei* sunt, in quibus iudex ex bono & æquo æstimat, quid & quantum actori à reo præstari oporteat. §. *in bonæ fidei 30. Inst. eod.*

252. *Stricti juris*, in quibus iudicis potestas conventioni est adstricta, quam judicando excedere nequit. *ex d. §. 30. Inst. eod.*

253. *Arbitrariæ*

253. *Arbitraria*, in quibus intercedit iudicis arbitrium & iussus. §. *Præterea* 31. *Inst. eod.* Divis III.
Actionum.

254. Item actiones *aliæ* sunt *Rei persecutoriæ*, *aliæ Pœnales*, *aliæ mixtæ*, quæ utrumq; & rem & pœnam persequuntur. §. *sequens illa div. ib. & seq. Inst. eod.*

255. *Aliæ* in simplum, *aliæ* in duplum, *aliæ* in triplum, *aliæ* in quadruplum concipiuntur. §. *in simplum* 22. & *seqq.* IV.

256. *Aliæ* solidum, *aliæ* minus persequuntur. §. *sunt præterea* 36. *Inst. eod.* V.

257. *Aliæ* perpetuæ, *aliæ* temporales sunt. VI.

258. *Aliæ* deniq; Heredib. & in heredes dantur, *aliæ* non dantur. VII.

259. Singulorum autem horum generum species non examino, quod nimis longum foret. Petere har. descriptiones ex ipso textu licet.

260. Sequitur de *REO*. Hic est, qui litem excipit, seq; exceptione defendit.

261. *Exceptio* est quædam exclusio actioni opposita ad infirmandum id, quod in intentionem condemnationemq; deductum est. §. *verbi gratia* 1. *Inst. d. except.*

262. Estq; *vel* peremptoria, *vel* dilatoria.

263. *Peremptoria*, quæ in totum perimit intentionem actoris. §. *perpetua* 9. *Inst. eod.*

264. *Dilatoria*, quæ ex parte ei obstat. §. *Temporales* 10. *Inst.*

265. *JUDEX* deniq; est, qui controversiam cognoscit & dijudicat. Cujus vero officium est, ne aliter iudicet quam legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. *pr. Inst.*


d. off. jud.

Bbb 3


TRIPUS

Typus Manuactionis ad Jurisprudenciam.

In hac sectione proponuntur



(A)
Res sūt
secun-
dum ju-
ris obje-
ctū ubi
agitur



*SYLLABUS AUTORUM, QUI
Institutiones potissimum disputationib. aut
commentationibus illustrarunt.*

Albericus de Rosate	Joachimus Beust
Andreas Alciatus	Minsinger
Fachinæus	Joannes Althufius
Gail.	Borcholten
Antonius Matthæus	Boterus
Baldus	Corrafius
Barrolus	Gæddæus
Carolus Molinæus	Harprecht
Claud. Cantiuncula	Oldendorpius
Christoph. Besoldus	Sichardus
Ehemius	Schneidervein
Conradus Olemannus	Irnerius
Cyriacus Herdesianus	Iulius Pacius
Didacus Covarruvias	Leopoldus Hackelman
Dionysius Gothofredus	Ludolfus Schrader
Dominicus Arumæus	Ludovicus Gilhausen
Eberhardus Bronchorst.	Martinus Hofman
Speckhan	Matthæus VVesenbecius
Elias Roberus	Matthias Polenius
Francis. Accursius	Matth. Stephani
Connanus	Melchior Kling
Duarenus	Nicolaus Eberhardus
Hottomannus	Reisnerus
Zoanettus	Obertus Giphanius
Fridericus Pruckman	Paulus Berens
Gulielmus Fornerius	Petrus Faber
Helf. Utr. Hunnius	Gregor. Tolosan.
Henningus VVegner.	Heigius
Henricus Bocerus	Philippus Decius
Hermannus Vultejus	Hænonius
Hieronymus Schurfus	Matthæus
Trentler.	Reinerus Bachovius
Hugo Donellus	Valent. Arithmæus
Jacobus Cujacius	Guiliel. Forsterus
Menochius	Udalricus Zasius
Tominigius	VWilhelmus Zepperus.
Jeremias Setserus	



Coll. diss. A. 28, misc. 41